


4^o Dom. 8-853

OBSERVATIONES SVPER SANCTIORI DOCTRINA
NOSTRIS PRAESERTIM TEMPORIBVS
ACCOMMODATAE

Frommann

31

QVARVM
SECTIONEM PRIMAM SVPER
THEOLOGIA IN GENERE



SVB

P R A E S I D I O

D. F R H. A N D R. F R O M M A N N I

SS. TEOL. ET LL. ORR. P. P. O. ILL. GYMN. DIR.
ET CONSIST. DVCAL. CONSILIARI

A. D. X I I I I. DÉCEMBRIS A. C. c I o I o c c l x v i i i

1748
ET DEINCEPS

IN COLLEGIO ACAD. CASIMIRIANO

AD DISPUTANDVM PROPOVNVT

FRID. AVG. HARTMANN ANDR. PETR. de PERG

COBURGENSIS

CVLMBACENSIS

IO. PAVL. SCHVLTHESIVS

IO. CHR. HENR. KREIL

FECHA - COBURG.

DROSSENFELDA - BARVTH

C O B U R G I
LITTERIS FINDEISENIANIS

PRO O E M I V M.

Quum studium Auditorum nostrorum, ingenio virtuteque
praestantiorum, materiam postularet, in qua utiliter ver-
fari seque disputando exercere posset: prima mihi cogitatio de
obseruationibus super sanctiori doctrina edendis iniecta est, qua-
rum primum specimen in praesenti exhibeo, alia, secundum or-
dinem Locorum Theologicorum, posthac, Deo adiuuante, impi-
gre propositurus, quoad disputantium feruore me non destitui sen-
tiam. Quod institutum non dubito quin aequis iudicibus, si
nulla de causa alia, at consilii certe, quo suscepimus est, probitate
se sit commendaturum; quare longiori excusationis praefatione
nihil opus esse videtur. Vnum illud Lectores monendum duco,
vt in eo ne offendantur, quod obseruationes in Theologiam affe-
rendas nostris praesertim temporibus accommodare me velle
ostendi, neue eam rem secus, atque sentio, interpretentur. Ne-
que enim in eorum numero Theologorum, qui nostra aetate
multi sunt, haberí cupio, qui vniuerse negent nostrorum tempo-
rum lucem maiorum dogmata ferre posse, atque adeo saeculo
versute inseruientes, quae huius fastidium repudiet, aut omnino
taceri, aut ita molliri immutarique iubeant, vt religioni pruden-
tum, qui videri volunt, quicquid est disciplinae theologicae ac-
commodeatur, atque ita instituantur, vt magis ad pacem inter dif-
fidentes conciliandam, quam alendam discordiam faciat. Quae

quidem Theologiae, in praecipuis capitibus suis, ad nostram aetatem, corruptelis religionis plenissimam, accommodatio quid quae-
so aliud est, nisi turpis bona causa vel desertio, vel proditio? Quam non ipsam modo, sed vel leuissimam etiam eius suspicio-
nem longe a me abesse cupio. Itaque non Theologiam, sed meas
super illa obseruationes qualescumque, nostris temporibus accom-
modare studebo; quo quid significare velim, nemini, qui de san-
ctorum disciplinae, quae nunc est, conditione recte iudicare queat,
obscurum esse poterit. Nimirum sunt nonnulla, quae tum ad
dogmata ipsa, tum ad illorum probationes spectant, a recentiori-
bus interpretationis Scr. S. aliarumque literarum subsidiis probe
instructis, accuratius definita, explicata atque tradita; neque
enim credibile est, aucto literarum omnium lumine, in una
Theologia maiorum industriad nihil reliquisse, quod exornari
illustrariue queat. Haec igitur digna sunt, quae magis vulgen-
tur et in plurimum notitiam veniant. Contra ea sunt, quae olim
bene recteque dicta, a posteriorum vel errore peruersti, vel ambi-
tione reprehendi ac reiici coeperunt, suis perperam cogitatis in
eorum loco repositis; in quibus, ne incauti decipiatur, ad-
monitione opus est. Denique post Schomerum, Grapium,
Foertschium, recentiorum controvrsiarum theologicarum scripto-
res, de multis variisque rebus in hoc genere disceptatum fuit;
de quibus sententiam dicere nemini incorrupte iudicanti non li-
berum esse debet. In hisce talibus igitur versabuntur obserua-
tiones nostrae nostris temporibus accommodatae, de quibus ipsis
age cognoscendi locum iam faciamus. Faxit Deus, vt in
suae gloriae amplificationem, reique sacrae commodum omnia
cedant!

I. Voca-

Theologie Vocabulum, vi etymologiae et ex vsu veteri,
significat doctrinam de Deo et rebus diuinis.

Sermonem, de Deo reddunt post Augustinum plerique omnes. Is enim de Civitate Dei, Lib. VIII. c. 1. Verbo graeco theologiae, inquit, significari intelligimus de diuinitate rationem siue sermonem. Sed λόγος vt in aliis compositis, veluti aretologia, chronologia, astrolo-
gia etc. ita in hoc etiam, non scientiam quidem, vt b. MOSHEMVS in Elem. Theol. dogm. p. 2. arbitratur, (de hac enim λόγος nusquam dicitur) at disputationem, doctrinam, institutionem, denotat. Quo sensu in N. T. λόγος τὸ Θεός occurrit Luc. V, 1. VIII, 11. Act. VI, 2. 7. Cum quo conuenit etiam usus huius vocabuli antiquis Graecorum scriptoribus receptus, a quibus saec. II. aut III. certum enim tem-
pus definire non licet, in consuetudinem ecclesiae transiit. Apud Latinos autem Theologiae vocabulum ea fere significatione, qua nunc usurpari solet, ab eo potissimum tempore frequentari coepisse, quo Abaardus Libb. V. de theologia christiana scripsit, s. R. SEMLERO probabile videtur, in Introd. hist. ad theol. dogm. praemissa Vol. I. der Baumgarten. Euang. Glaubenslehre, p. 112. Sed non vacat iam historiam huius vocis perseQUI, quamquam eius, item vt aliorum nonnullorum vocabulorum, fata nosse, nec iniucundum est, et ipsis scientiis interdum proficuum. Quae huc faciunt, praeter alios colligit R. OWENVS in Theologumenis Lib. I. c. 1. quibus addenda sunt a SEMLERO, laudato loco p. 109. sqq. notata. Vnum ex campo isto decerpsum hic depromere libet, quod de nomine Θεολόγος in inscrip-
tione Apocalypseos Iohanni tributo, recte quidem nonnulli docui-
sse, sed nondum ita peruvuisse videntur, vt vulgo cognitum et approbatum fuerit. Communis sententia est, ἐπιθετον hoc a scripto-
ribus ecclesiae Saec. IV. apud antiquiores enim non reperitur, no-
mini Iohannis ideo additum fuisse, quod diuinitatem Christi, prae ce-
teris, in scriptis suis, et sigillatim in Evangelio, adstruxerit; qua de-
causa etiam Gregorio Nazianzeno illud tributum fuisse arbitrantur.
Quam rationem non quidem contemnendam putamus, praesertim

cum verba Θεολογέν, Θεολόγος, Θεολογία, de Christi diuinitate frequentari maxime illo tempore consueuerint. Ac valere illa potest, non negamus, vbi sine respectu ad Apocalypsin, vt apud εΥΣΕΒΙΟΥM Praepar. euang. Lib. XI, c. 18. quo loco initium euangelii eius laudatur, Iohannes Εβραιων Θεολόγος appellatur. Sed in epigraphe Apocalypseos propior, hincque probabilius nominis huius ratio inuenitur, ex ipsius libri, cui praefigitur, argumento repetenda. Nimirum solebant etiam, qui instinctu diuino afflatuque oracula funderent, Θεολόγων nomine tum insigniri; atque ipsa Apocalypsis Iohannea ob mysteria et varicinia, quae continet, pallim Θεολογία appellatur, vt apud σΥΝΑΓΩΓΗΝ, qui, postquam euangelii et epistolarum Iohannis mentionem fecerat, addit: συγγεάφεται τὴν Θεολογίαν, haud dubie Apocalypsin innuens; alium locum scriptoris ἀνονύμος ΣΤΕΡΗ. ΜΟΝΑΧΙVS habet in *Variis Sacris*, p. 1015. vbi Θεολογική Αποκάλυψις memoratur. Unde admodum probabile fit, Θεολόγος nomen in dicta epigraphe idem ac περφήτη significare; quam sententiam pluribus ornant ΙΩΗ. ΗΕΡΜ. ΕΛΣΩΙΧΙVS in Diff. de *Inscriptione Apoc. Ioh.* p. 24. sqq. et SEMLER, ad *Dogm. Baumg.* p. 8. Priorem tamen eamque communiores, praeter rem, vt opinor, praeoptat ac defendit LAMPE in *Commentar. in Eu. Ioh.* Tom. I. p. 121. sq.

Ad haec illud breuiter tantum monebo, vocabulum δικαιοπίας, si apud scriptores ecclesiasticos a Θεολογίᾳ distinguitur, in vulgari bus Systematisbus de sola Christi incarnatione explicari consueuisse, cum tamen totum statum humanae Christi naturae, omniaque, quae per eam egit, significet, vid. MOSHEM. I. c. p. 4. sq.

II.

Diuisio theologiae in ἀρχέτυπον et ἔκτυπον non est quidem vitiosa, at inutilis tamen, vt facile ea carere possimus.

Quando vitio liberamus hanc diuisiōnē, per se intelligitur, non ex theologiae reuelatae definitione, sed generalissima eius notione, quatenus scientiam de Deo rebusque diuinis notat, illam ducentam esse. Quod vel diserte, vel tacite fatentur omnes, quotquot eam in medium attulerunt. Itaque satis imperite fecit ΙΩΗ. FARBAKI, Hungarus,

in

in *Examine vulgarium quarundam Theologiae diuisionum*, sub praefidio Tresenreuteriano, Altorfii 1741. publice proposito et defenso, qui, diuisiōnē hanc contra regulas Logicas peccare, euicturus, has iniit rationes, vt primum definitionem theologiae reuelatae Buddeanam: *Theologia est scientia rerum diuinarum homini peccatori ad salutem consequendam cognitu necessariarum, prout ex Scriptura S. nobis constat*, etc. fundamenti loco poneret; deinde diuisiōnē, de qua quaerimus, ad eam referens, negaret, Deo theologiam tribui posse, cum neque homo peccator sit, neque ab alio reualationem accipiat; hincque veri nihil in tota hac diuisione esse argueret. Egregia vero demonstratio! licet totus libellus, vt temporis illius mos fuit, sic dicta methodo demonstrativa conscriptus sit.

Ceterum quam superuacanea nulliusque momenti haec sit theologiae diuisio, vel exinde perspici potest, quod simili modo omnes aliae scientiae, veluti philosophia, iurisprudentia etc. diuidi possent, in quibus quemadmodum nemo argutam hanc sedulitatem desiderat: ita in theologia etiam facile illa carere possimus. Probabile est, origines huius distinctionis ex scriptoribus mysticis repetendas esse; certe ἀρχέτυπα et ἔκτυπα vocabula, obseruante s. r. SEMLERO ad *Introd. Baumg. Pseudo-Dionysius Areopagita*, iam habet, qui has notiones ex Philosophia Platonica haufisse videtur, cuius decretum per uulgatum fuit, omnium rerum ideas, seu exemplaria (ἀρχέτυπα) ab aeterno in Deo extitisse, quorum adeo exempla (ἔκτυπα) sint in rebus conditis. Quomodounque est, receperunt Scholastici hanc diuisiōnē in suam theologiam, ex qua ad nostram transiit, vt alia plura, quae rectius abessent.

III.

Theologia unionis, quae est scientia Dei rerumque diuinarum Christo homini, beneficio unionis personalis competens, non ad theogiam ectypam, sed archetypam est referenda.

Ratio nominis *theologiae unionis*, a Scholasticis inuenti, constat ex definitione, quia eius fundamentum est unio personalis. Pro ipsa

ipsa autem archetypa theologiam illam habendam esse, patet, quia, ut alia idiomata diuina ἐνεργητικά, ita omniscientia etiam, cuius pars theologia archetypa est, cum humana Christi natura per unionem hypostaticam est communicata. Atque Scriptura S. dum πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος in Christo habitare affirmit, Col. II, 9. certe perfectissimam cognitionem Dei, omniumque, quae ad naturam eius et uniuersitatem religionem pertinent, non excludit. Claris verbis hanc illi tribueret v. 3. *in eo omnes thesauri sapientiae et cognitionis sunt absconditi*, nisi dubium adhuc esset, an verba εἰς ὃ non respiquant ad μυσθήτον, quod praecedit, ut non tam de Christo, quam eius euangelio, omnis illud sapientiae plenissimum esse, h. l. affirmetur. Quod si igitur de theologia Christi accurate disputare velimus, tria omnino distinguere fas est. Videlicet competit illi α) theologia ἀρχέτυπος essentialiter secundum diuinam naturam, β) eademque communicatiue secundum naturam humanam, cuius autem, item ut aliorum bonorum, quae ex diuinae naturae consociatione in se proficiisci necesse erat, vsu perpetuo tantisper se abdicavit. γ) Theologia ἔκτυπος autem eidem humanae naturae per se spectatae conuenit, quae habitualis et finita fuit, ita ut crescere eius cognitio posset, v. Luc. II, 40.

Cur, quae Theologi nostri communiter fere tradere solent, hic repetamus, causa haec est, quod videmus b. BAVMGARTENIVM in der evangelischen Glaubenslehre, Vol. I. p. 14. *theologiam unionis* ad ectypam referre, eamque sic describere, ut ab archetypa, diuinae Christi naturae propria, omnino distincta, et in statu exinanitionis suis limitibus finita fuerit, licet in statu exaltationis ad ipsius archetypae excellentiam sit euecta. Quod propter consensum sanioris doctrinae, qui in omnibus accurate est tenendus, admitti non potest. Nec ipse b. Autor sibi in hac re satis constat, cum omniscientiam diuinam cum humana Christi natura per unionem personalem communicatam esse, libri laudati Vol. II. p. 107. aperte doceat, et in *Theol. polem.* Vol. II. p. 121. contra dissentientes recte defendat. Quod quidem qui faciat, is certe, nisi secum ipse pugnare videri velit, concedat necesse est, illam ipsam, quae in Deo est, archetypam theologiam, Christo homini tributam esse, cum, quod supra monuimus,

nuimus, haec omniscientia diuina comprehendatur et pars eius sit. GERHARDVS quidem Locc. Theol. Vol. II. p. 6. ed. Tubing. *Theologiam unionis* etiam ἔκτυπον dicit; sed verbis tantum, non item re, a communi doctrina dissentit. Statuit enim ectypam hanc in Christo homine Theologiam perfectissimam Dei et rerum diuinarum scientiam complecti, et addit: *Haec itidem toto genere differt a Theologia in creaturis rationalibus, quia humana Christi anima in ipsam τὸ λόγον ὑπόστασιν assumta, longe ultra omnium angelorum et hominum dignitatem et scientiam est euecta, unde vocatur plane singularis.* Ex quo appareat, non, quod archetypa inferior sit, sed propterea, quod in humana Christi natura non περώτως, sed per communicationem inest, theologiam unionis ectypam a GERHARDO appellari.

III.

Theologiam naturalem esse, multo certissimum est; neque tamen eius cognitionem in hominibus Scripturae S. lumine destitutis augere nimis et extollere fas est.

Si Theologia, pro diuerso fonte seu cognoscendi principio, in *naturalem*, quae ex considerata rerum natura, et *reuelatam*, quae ex Scriptura S. hauritur, dispisci solet; ad ampliorem vocis significationem, non minus, quam in superiori divisione, (§. II.) respici, planum est; ut hinc non sint audiendi, qui hic vitii aliiquid subesse putent.

Sed sunt, qui de Deo rebusque diuinis, natura duce, cognosci aliiquid posse, omnino negent, atque adeo omnem theologiam naturalem tollant, veluti SOCINVS in Praelectionibus Theol. c. II. cum nonnullis gregalibus; non enim in eodem omnes consentiunt; licet, quod SOCINVS sumit, sectae errori principali, mysteriis vacuam quidem, nec indignam tamen, quam Deus per Christum reuelaret, religionem christianam esse, conuenientius sit et magis congruum. Audio quoque, in academicorum quorundam Philosophorum scholis hodie huiusmodi voces iaci: *Deum esse, sciri quidem vel plane non, vel difficulter posse, credi autem ex Scr. S. facile.* Quibus PETR. BAYLIVS praeiuit, T. II. *Respons.* p. 458. afferens, Deum existere, per difficile cognitu probatuque esse. Sed hoc dicere, quid quaeso aliud est,

est, nisi ipsa omnis theol. naturalis initia et fundamenta subuertere? Qui error propterea tolerari nequit, quod omnem παιδαγωγίαν ad religionem diuinitus patefactam tollit; perspici enim nullo modo potest, quomodo ei, qui vlla naturali Dei cognitione neque imbutus est, neque imbuī potest, diuina sacrarum literarum origo persuaderi queat. Atqui esse vtique aliquam naturalem Dei cognitionem, Scriptura S. diserte affirmat; Paullus enim Rom. I, 19. 20. creatione huius universi Deum ita se manifestasse dicit, vt, quae eum non agnoscant et reuereantur gentes, jure ἀναπολόγουτοι habeantur; cum quo loco conferre iuuat Rom. II, 14. 15. Act. XIV, 17. XVII, 27. Deinde, qui non ipsis sensibus hominum communibus repugnare ausit, nemo inficiari potest, humanum ingenium ea virtute praeditum esse, vt rectas de Deo eiusque cultu sententias idoneis rationibus comprobare queat. Quod etiam gentes reuelatione destituta suo exemplum testatum fecerunt, quarum quae reliqua sunt monumenta non contemnendos de virtute rebusque diuinis sensus subinde impressa habent. Cuius rei argumento vel soli libri Gnomologici sint, a MICHAEL E NEANDRO in opere aureo collecti, in hisque carmina praese: tim Pythagorac aurea dicta, cum HIEROCLIS ad ea commentariis, de quo postremo temperare mihi non possum, quin IOHANNIS CVRTERII, aureorum interpretis, verba huc transferam. Is igitur in dedicatione. *Hoc doctorum multorum iudicio, inquit, quibus hoc aureum scriptum (Hieroclis) videre contigit, affirmare non vereor, nullum profani nominis auctorem, luce donatum adhuc, quod sciam, esse, qui tam multa de moribus, de prouidentia, similibusque rebus, more nostro, id est, Christiano, hostis alioquin nominis huius acerrimus, tam bene tamque aperte differuerit. Immo non sine diuina prouidentia effectum arbitror, ut infelici nostro saeculo, in quo post opugnatam verae religionis atque morum disciplinam, Deus ipse a multis non obscure pertitur, libellus iste in lucem prodiret, qui philosophicis rationibus ab illis id extorqueret, nisi hominis naturam plane exuerint, quod diuini verbi auctoritas persuadere non potuit.* Sunt etiam in aliis philosophorum ethnicorum scriptis sana placita et praeclarae sententiae hinc inde sparsae, quum, auctore LACTANTIO, Diu. Instit. Lib VII, c. 7. nulla secta fuerit tam deuia, nec philosophorum quisquam tam inanis, qui non viderit aliquid ex vero. *Quod si exitisset aliquis, idem*

idem scribit eodem loco, qui veritatem sparsam per singulos, per se-
Etasque diffusam, colligeret in unum, ac redigeret in corpus, is profecto
non dissentiret a nobis.

Neque tamen haec ita sunt intelligenda, ac si nihil aut parum ad perfectam theologiae naturalis cognitionem gentibus profanis olim defuerit. De hac enim certe non ex scriptis quorundam philosophorum, sed ex sacris earum publicis iudicium est faciendum, quae, quod nemo negare potest, insignem animi caecitatem produnt. Nempe plebis, tum inferioris, tum splendidioris, maxima pars idolorum cultui dedita, projectisque et indomitisi animi cupiditatibus obsequens, in summa versabatur ignorantia; ac ne philosophorum quidem ullus erat, qui non in rebus, de nostro sensu, cognitu facillimis, varie et turpiter subinde erraret, vt pluribus ostendunt IAC. VERNET in der *Wahrheit der christl. Religion*, Sect. I. c. II - VI. et Ven. IOH. AVG. NOESSELT. in der *Vertheidigung der Wahrheit und Göttlichkeit der christl. Religion*, §. 194. Deinde meminisse oportet, eorum, quae recte tradiderunt, nonnulla aliunde, siue ex Iudaeorum siue christianorum disciplina, Philosophos accepisse videri, quod de Hierocle etiam supra laudato, non magis dubitandum existimem, quam de Iamblichio, Porphyrio, Plotino, aliisque eius aetatis, dubitari potest, de quibus Huetius in *Demonstrat. Euang. Axiom. IV. p. m. 26*. Ad haec annotasse iuuat, sententias erroneas verborum fucō interdum illitas in philosophorum, Stoicorum maxime, scriptis reperiri, quae primum lecta placeant, diligentius autem examinata sint repudianda. Quas cautiones necesse est adhibeamus lectioni libri TOB. PFANNERI, quem inscribit: *Systema Theologiae gentilis purioris, qua, quam prope ad veram religionem gentiles accesserint, per cuncta fere eius capita ex ipsis praecipue illorum scriptis ostenditur*, Bas. 1679. Quem Autorem non miror colligendis iis, quae vera et probabilia in scriptis ethnicorum reperiuntur, iustum corpus componere potuisse. Quanto autem maior liber futurus fuisset, si quae in iisdem falsa et male dicta sunt, eadem diligentia congerere voluisset!

V.

Etsi *theologia naturalis* vera est, suaque praestantia non defraudanda: tamen eo loco eam habere minime conuenit, vt sola sufficiat, adeoque nulla opus sit *theologia reuelata*.

Capitalis hic error omnium eorum est, qui nostris temporibus *Naturalistae* et *Deistae* appellantur, veluti *Tindalii*, cuius liber extat: *Christianismus aequalis mundo*, multorumque aliorum, quorum nomina iusti Lexici etiam conscribendi *Trinio* materiam praebuerunt. Contra quos hoc tantummodo in praesenti monebo, valde ingratos eos erga reuelationem esse, sine qua quippe eam non habituri essemus *theologiae naturalis* formam, qualis in libris de ea scriptis hodie delineatur. Egregie falluntur Deistae, si quae nos doctrina *Scripturae S.* adiuti et moniti, de Deo nostrisque officiis ex ratione iam demonstrare possumus, ea vllum reuelationis lumine constitutum, vel olim cognouisse, vel posthac cognitum esse credunt. *O quidm difficilis est ignorantibus veritas, et quam facilis scientibus!* recte **LACTANTIUS** inquit *Instit.* Lib. II. c. 5. Quid ratio sibi relicta in hoc genere praefest, docuit gentium religio monstris plena, et etiamnum docet. Iam scopolos, in quos illae impegerunt, vt feliciter euitare queant, lectione *Scripturae S.* nostri sunt affecuti, quod autem tantum abest, vt ingrati agnoscant, vt potius omnia vi sui ingenii et perspicaciae tribuant. Itaque similiter faciunt, atque ii, qui a praceptoribus ante probe instituti, dein *auto didicunt* videri volunt, illos tanquam sibi nec necessarios, nec utiles, fortiter contemnentes. Vid. **SAM. WERENFELSI** Diff. de *Praestantia relig. reu.* quae in *Opusculis* eius tertia est, p. 75. Confundunt huius generis homines, qui, cum contemtione *theologiae reuelatae*, naturali nimum tribuunt, quae, vt errori omnis locus praeccludatur, diligenter sunt distinguenda. A *theologia naturali*, quatenus per se possibilis est, et in rerum natura fundatur, ad eius, quae in homines cadit, et pro praesenti eorum statu cadere potest, cognitionem temere concludunt; et quoniam illa, suo modo, perfecta est, hanc similiter perfectam arguunt, ita vt, quae per *theologiam reuelatam* accedat, institutione nihil opus sit. In quo non rectius iudicant, quam

quam si quis villa doctoris opera in quacunque disciplina opus esse ideo negare vellet, quod omnium disciplinarum fundamenta rerum natura contineantur, vique ingenii ex ea peti possint. Quod, contra *Tindalium* praesertim, scite monet **IOH. CONYBEARE**, *Theologus Oxonensis*, in *Defensione rel. reu. contra dubitationes auctoris libri de christianismo mundo aequali*, c. II. quae Defensio ex Anglica lingua in Germanicam versa prodiit Berol. 1759. De reliquo si, ne omnem quidem, quantumuis perfectam, theologiam naturalem ad salutem sufficientem esse, contra *Naturalistas* probandum sit, haud alia via breuiori fieri hoc posse videtur, quam si, esse aliquam doctrinam diuinitus patet factam, quae plura contineat, quam ista naturalis scientia, idoneis argumentis vincatur; vt recte iudicat **B. HEILMANNVS** in *Comp. Theol. dogm.* p. 6.

VI.

Theologia naturalis insita aut falso, aut incommode dicitur.

Prius fit, si re ipsa notitiam aliquam, (*actualem* dicunt) de Deo rebusque diuinis hominum animis natura insitam esse et ingeneratam nonnulli veterum praesertim statuerunt, veluti **MATERNERVS** in *Philos. sobr.* P. I. p. 596. qui notitias naturales connatas per *ξενομονικόν*, habitualiter, a prima statim infantia menti nostrae inesse, acriter defendit. Neque enim vsu et experientia eiusmodi quid in hominibus vllis obseruare adhuc licuit; quin contrarium potius in omnibus rationis vsu et institutione destinatis apparuit; cuius rei memorabile exemplum in *Actis Erudit.* Lipff. a. 1706. p. 266. narratur. *Scripturae S.* autem duo testimonia, quae pro *theologia naturali* insita, dicto sensu accepta, afferri solent, id quod debent minime probant. Nam quod *Paulus Rom. I, 19.* dicit, *Deum sui cognitionem gentibus manifestasse*, id non de insita, sed *acquisita* Dei notitia, capiendum esse, ea, quae sequuntur, planissime docent; addit enim, *ininspectabilēm Dei naturam, potentiam et diuinitatem ex mundi opificio rebusque creatis perspici*, Cap. II, 14. 15. autem de *lege naturali* ope rationis, non ex *Mosis* institutione, a gentibus cognita *Apostolus* loquitur; cumque summa et argumentum legis Mosaicae, quoad in

in hominis natura fundata est, (*Ἐγενόται νόμος*) *in gentium animis inscriptum esse* affirmat, nihil dicit aliud, nisi quod Cicero in Or. pro Milone c. IV. vbi de eadem naturae lege: *Est enim haec, inquit, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, huius, expressimus; ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus.* Scilicet Deus rationem hominibus tribuendo effecit, vt boni maliae sensum quendam habeant, siveque *Φύση*, i. e. vt Chrysostomus bene explicat, *τὸις Φύσεως λογισμοῖς ratiocinationibus naturalibus adducti*, quae cum lege conueniant, quodammodo faciant. Haec nec alia vis esse videtur phraseos: *τὸ γεγονότος γένετον εἰ τὰς φύσεις αὐτῶν.* Interim tropica haec dicendi ratio minus recte intellecta, totum illud *de theologia naturali insita* dogma in systemata nostra, quantum iudicare possum, inuenit; ex quo erroris fonte in eodem genere plura manarunt. Hactenus de falsitate theologiae nat. insitae, si pro actuali Dei notitia hominum animis ingenita accipiatur; quam falsitatem ex nostris plures, veluti *Calouius*, *Musaeus*, *Bayerus*, *Buddens*, alii, agnoverunt.

Sunt autem, in hisque illi ipsi, quos modo nominaui, qui theologia nat. insitam per *potentiam proximam* Deum cognoscendi definiant, quam *habitus ἀνάλογος* etiam dicunt, vid. *ZACH. GRAPIVS* in *Theol. recens controversa*, T. I. p. 16. Mensem suam de potentia illa proxima luculentius declarat, eamque in promptitudine ponit, claram de Deo rebusque diuinis cognitionem, sine ratiociniorum perplexitate, concipiendi, coniuncta cum illi assentiendi inclinatione, *REVSCHIVS* in *Annot. ad Bayerum, Proleg. c. I. §. 12.* In quo *BVD-DEVM* sequitur, *Institt. Theol. dogm. Lib. II. c. I. §. 5.* Sed quis non videt perincommodum notitiam insitam dici, quae non nisi facultas cognoscendi, quantumvis promta et facilis, est? *DAN. WYTTEBACHIVS* in *Tentamine Theol. Dogm. §. 213.* et *CARPOVIVS* in *Diss. prolus. Theol. nat. §. 84. et 96.* ad principium rationis suff. quod dicere Philosophi solent, configunt, vt cognitioni Dei insitae commodam explicationem quaerant. Cum enim probatio existentiae Dei, inquiunt, principio rat. suff. nitatur, principium autem hoc ipsum hominem animis insitum esse intelligatur, ita vt rerum quarumcunque causas sciscitari naturae quodam instinctu ducantur, effici, vt Dei existen-

existentiae cognitio etiam insita esse recte dicatur. Supponuit igitur viri laudati mundum existentem, cuius intuitu et contemplatione de causa eius effectrice vt querant homines impellantur, siveque ad Dei, naturae summe perfectae, cognitionem perueniant. An non vero haec talis cognitio ea ipsa est, quam *acquisitam* alias dicere, et ab insita discernere solent? Ita se torquent boni viri, vt termino praeter auctoritatem Scripturae S. in theologiam semel recepto, tolerabilem sensum subiiciant, quem missum plane facere multo satius esset. Neque rei consulitur etiam, si cum cel. Ioh. BEN. CARPOVIVS *quasi insitam*, aut *quasi copnatam* Dei cognitionem assumamus, cum ne sic quidem ab acquisita satis differat. Vid. eius *Librum doctrinalen Theol. pur.* p. 10. De reliquo ablegamus ad S. R. ICH. ERN. GVNNEKVM de vniuerso hoc argumento latius differentem *in dem Beweis von der Wirklichkeit und Einigkeit Gottes*, p. 155. sqq.

VII.

Etsi theologia reuelata, (quod suo modo de naturali etiam valet) ratione finis, quem propositum habet, tota est practica; tamen ratione rerum, quas tractat, (obiecti materialis), in *theoreticam* et *practicam* recte diuiditur.

Ita optime conciliari possunt, quae nonnullis inter se pugnare visa sunt, qui de hac, et aliis quibusdam, minus quidem idoneis causis, hanc theologiae diuisiōnē improbandam censuerunt. Sic NEUMANNVS in *Theol. Aphor.* p. 60. ad Aph. XL. *Theologia mīmis recte, nec citra suspicionem heterodoxiae* (scil. quia Ge. Calixtus hanc diuisiōnē usurpauerat) *in practicam et theoreticam diuiditur*; hanc rationem afferrit: Quia haec membra diuidentia euertunt naturam totius diuisi; siquidem cum tota theologia practica sit, non appetet, quo pacto quedam eius pars dici theoretica possit. Valeret ratio Neumanniana, si eodem respectu in theoreticam et practicam diuidetur theologia, quo tota practica esse affirmatur. Sed posterius fit, si *finis theologiae* spectetur, qui certe non est, vt in Dei rerumque diuinarum cognitione animus solum occupetur, in eaque acquiescat, sed vt cognita vim suam in vita ostendant, et ad fidem verumque Dei cultum nos adducant, Ioh. XX, 31. Tit. I, 1. quo felicitate

citate aeterna potiamur. Atque hoc quidem respectu tota theologia *ἐν ταῖς περιτταῖς* esse recte statuitur. Quodsi vero ad *res*, quas ex Scriptura S. haustas theologia tradit, (*objektum materiale*) respiciamus, duplicitis eas generis esse, nemini non clarum atque perspicuum esse potest: aliae enim ad capita fidei seu *credenda*, ad *agenda* seu officia aliae pertinent; quarum illas parte theologiae *theoretica*, has *practica* complecti, nihil sane est, quod impedit. Quare iam N.I.C. H.V.N.N.I.V.S hanc diuisionem proposuit in *discipline theologica de fundamento. dissensu*; p. 161. sq.

Interim vanus ille metus, ne, admissa hac diuisione, theologia tota practica haberi desineret, effecit, vt nonnulli theologiae theoreticae appellationem prorsus repudiarent, cumque discrimen tam, quod inter *credenda* et *agenda* intercedit, negare non possent, adhibita noua distinctione, illa *virtualiter*, haec *formaliter* practica dicere ausi sint; vt, licet rectae de Deo rebusque diuinis sententiae, quas theologia tradit, praceptorum in eadem contentorum numero haberi nequeant, nihilominus tamen practicam disciplinam constuant, quod ita sint comparatae, vt praceptoris regulisque inferendis deseruire possint. Vide, praeter alios, BAYERVM *Theol. Pos.* p. 8. 28. sqq. Sed haec si stare posset distinctio, de omnibus disciplinis theoreticis actum esset, cum nulla propositio tam arida sit, ex qua non aliquid, quod ad praxin pertineat, exprimi queat, vt hinc Metaphysica, Phylica, ceteraque scientiae omnes, quae de rerum proprietatibus agunt, practicae sint dicendae.

Quum igitur haec, de qua hactenus diximus, theologiae in theoreticam et practicam diuisione in ipsa rerum, quas tradit, diuersa natura sit fundata: recte fecerunt viri eruditii, qui vtrumque genus antea coniunctum (nam in theologia decalogum etiam explicare consueuerant) discernentes, tum credenda tum agenda separatim tractarunt, illaque *Theologia Thetica* seu *Positiua*, haec *Theologia Morali* comprehendenterunt. Primum hoc ausus est et Theologiam Moralem publice in scholis suis docere coepit G.EORG. CALIXTVS, cum ante eum iam editis libris, Arndius de vero christianismo, et Gerhardus in Schola pietatis, aliquid eiusmodi tentauissent. Prodiit Ca-

lixti

lixti Epitome Theol. Moral. Helmstad. 1634. quam postea multi alii sunt sequuti. Recentiores in eo a consilio Calixti aliorumque veterum discesserunt, vt, praeter doctrinam de officiis et virtutibus christiani hominis, multa ad Theologiam theticam adhuc referri solita, veluti capita de renouatione, de natura et gratia, de conuersione denique et regeneratione suis Theologiae moralis institutionibus admiscerent. Quo factum est, vt fines vtriusque disciplinae turbarentur; cum eodem iure, quo dictis capitibus, aliis etiam in Morali disciplina locus deberetur, quae tamen Dogmaticae integra remanserunt. Cui malo vt medicina paretur, consilium nuper dedit s. r. D.OEDERLINVS, Theologus Buzouiensis, in Diff. *de Finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constituendis*, vt *Theologiae theticae* quod proprio theoreticum est, vt doctrina de Deo eiusque assentia, attributis, personis et operibus, de statu item hominum, de Christo seruatore, de gratia Dei per Christum et denique vita aeterna, tantum relinqueretur: ad *Moralem* autem omnia referrentur, quae ad mutationem et emendationem hominum, cum internam, per conuersionem et fidem, tum externam in vita, per officiorum virtutisque exercitium, pertinerent. Hac ratione putat multa euitari incommoda posse, praesertim hoc, ne multa ex Thetica in Morali repeti necesse esset. Quod consilium non prorsus improbat quidem Cel. D. ERNESTI, at difficultatibus sic satis consuli censet ac prouideri, si Theologia Moralis ad pristinos fines, quibus *Calixtus* eam circumscriptis, reducatur, vt officia tantum atque virtutes tradat; has enim solas, non autem fidem et gratiae operationes stilo Scripturae S. ad *περὶ ζωῆς* hominum referri; quae addita sint a recentioribus et ex Theologia positiva repetita, necessaria non esse, sed iure supponi, cum moralis doctrina christiana non nisi iis, qui fide iam instructi sint et regeniti, proprie scripta intelligatur. Vid. *Biblioth. Theol. P. V.* p. 575. In quo Viro perspicacissimo facile assentimur.

VIII.

Scientiae, quae in Theologia reuelata thetica requiruntur, obiectum minus accurate *rebus diuinis ad salutem consequendam cognitu necessariis* definitur.

C

Qui

XVIII

Qui Theologiae dogmaticae definitionem ita informarunt, plures sunt, ex quibus unum **BUDDEVM** in *Institut. Theol. dogm.* p. 53. exempli causa hic nominabimus. Debitam autem accurrationem in eo negligi, vel hoc argumento est, quod illi ipsi, qui ita definiunt, fidei articulos tamen, quos docet Theologia, in fundamentales et non fundamentales, illosque rursus in primarios et secundarios dividunt; quo ipso cedent, in eiusmodi rebus Theologiam etiam versari, quae ad salutem consequendam cognitu necessariae non sint. Scilicet *Theologiam acromaticam* non satis a *fide* et *religione* discernunt, quae posterior tantum in rebus ad salutem necessariis vulgari modo cognitis versatur. Illa autem cum accuratiorem et ad scientiae subtilitatem perfectionemque exactam cognitionem requirit, quae in defendenda doctrina christiana contra captiosas interdum et difficiles secus sentientium dubitationes usui esse possit; tum, quod huius consequens est, latius etiam patet, et de multis sententiis erudite disputat, quarum cognitione *christianus* quidem facile, aegre autem *theologus* carere pollit. Ita, ut hoc utar, illi sufficit nosse Sponsorem generis humani Deum et hominem esse simul, in hoc autem merito requiritur, ut de unione duarum naturarum, quaeque in ea fundatur, communicatione idiomatum, quoad ex Scr. S. fieri potest, rationem reddere valeat. Non ad salutem consequendam, ut quisque sua sponte videt, sed ad eruditionis, quae in theologo inesse debet, perfectionem, huius rei cognitio necessaria est, et similiter in aliis habet. Itaque fines *theologie* et *religionis* diligenter sunt obseruandi, ne utriusque confusione decepti, eadem, quae nostris temporibus haud pauci, peccemus. Dupliciter autem fere peccari hic solet: Primum ab iis, qui nullam omnino theogiam systematicam ferre volunt, atque omnia ad artis formam pertinentia, tanquam inutiles Scholasticorum subtilitates, immo noxias ad verbum diuinum additiones, quae ad nihil valeant aliud, nisi ad coetus christianorum distrahendos, tolli, contraque ea nihil in Theologia doceri cupiunt, nisi quod communiter omnibus Christianis ad vitam praeferendum emendandam sit profuturum. In hanc sententiam **CRELLIVS** ad *i. Cor. III. opp. Exeg. T. III.* p. 171. *Theologia practica est*, inquit, *et ad vitam, non ad eruditionem et disputandi subtilitatem, omnia refert; itaque id hic maxime probandum, quod ad vitae sanctimoniam plus conferat.* In quo errore

errore *theologiam* cum *christiana institutione* aperte confundente, plures inter nos **CRELLI** gregales hodie versantur. A quibus proprius absunt, qui, dum *theologiam* se tradere velle promittunt, graues doctrinas, veluti de *Scriptura S.* de trinitate, de unione duarum naturarum in Christo &c. pro lubitu omittunt, quod in *libro doctrinali Telleriano* merito reprehensum fuit. Alterum peccatum est eorum, qui in catechesibus pro rudioribus scriptis, ubi necessaria tantum fideli capita, modo populari, doceri debebant, res difficiliores et plebeiorum captui minime accommodatas, proponere non verentur; cuius generis Catechismos nonnullos nostra aetate editos esse scimus, quibus, praesertim si, quod quorundam praceptorum stupor iubet, ad verbum a puerulis et puellis sint ediscendi, nihil efficitur aliud, nisi ut a religionis cognitione animi tenelli deterreatur, et nimis multa discendo nihil tandem scire a peritis iudicentur.

VIII.

Theoria articulorum fidei fundamentalium, eorumque tum primar. tum secund. et non fundamentalium, a b. **MOSHEMIO** proposita, non praebet certos minimeque fallaces characteres, per quos singuli, ad quam classem pertineant, tuto dignosci queat.

Vidit o **Mauebris**, in vulgaribus Theologorum definitionibus, quibus *articuli fundamentales primarii* ii dicuntur, qui neque ignorari neque negari debeant, *secundarii*, quos ignorare quidem, at non negare licet, *non fundamentales* autem, in quibus utrumque fas sit; vidit, inquam, in his definitionibus nihil inesse ad constituentium, quod momentum unicuique sigillatim tribui conueniat, quique tandem sint illi nominatim, qui primarii et secundarii sint habendi. Itaque aliam viam ingredi, remque totam accuratius tradere voluit in *Elementis Theol. Dogm.* a genere eius b. **WINDHEMIO** editis, p. 37. sqq. ubi *Fundamentum*, inquit, *totius religionis christiana* hoc est: *Iesus Nazarenus est filius Dei et redemptor generis humani*; *i. Cor. III. 11.* Quicquid igitur cum hac propositione necessarium habet

bet *nexus*, nec modo *necessarium*, sed etiam *immediatum*, id dicitur *dogma seu articulus fundamentalis*: quicquid vero non habet *necessarium* et *immediatum* cum hac prop. *nexus*, id dicitur *non fundamentalis*. Fundamentales autem articuli diuiduntur iterum in *primarios et secundarios*. Quicquid a fundamento fidei vel supponitur, vel fundamentum fidei *necessario* sequitur, id est *articulus fidei fundamentalis primarius*; quicquid vero per conclusionem ex *primariis articulis fundamentalibus* deriuatur, id nominatur *articulus fundamentalis secundarius*. Quicquid vero ex articulo *fundamentalis secundario* iterum per ratiocinationem et conclusionem ducitur, id nominatur *dogma non fundamentalis*, seu *articulus non fundamentalis*. Sed vereor, vt satis sic omnia sint expedita et ad liquidum perducta; cuius dubitationis meae rationes iam breuibus exponam. 1) Definitio *articuli fundamentalis*, quam Auctor dedit, non conuenit, qui generi huic subiicitur, *articulo fundamentali secundario*, adeoque angustior est suo subiecto. Cum enim *fundamentalem* in genere definit, qui *nexus immediatum* cum fundamento fidei habeat; tum *fundamentalem secundarium* tamen eum dicit, qui ex *fundamentalis* primario per conclusionem demum deriuetur, et per consequens cum ipso fundamento fidei *nexus tantum mediatus* habeat, quod diserte etiam p. 41. dicit. 2) Sunt certe dogmata, quae, licet non proxime, sed intercedente alia demum propositione, cum *fundamento fidei cohaereant*, tamen non in *secundariorum*, quod Auctor vult, sed *primariorum* numero sint habenda. Vide mihi, exempli causa, propositionem: *homines in Christum credere debent*, quae, Moshemio iudice, dogma est fund. *primarium* cum *fundamento fidei proxime cohaerens*. Iam vero ex ista propositione *necessario* consequuntur haec: E. *de peccatis serio dolere debemus*, sine quo quippe vera fides existere nequit; porro: E. *Virtuti (bonis operibus) studere debemus*, per quam quippe fides se efficacem praebet. Quis non videt haec dogmata ad ipsam religionis summam pertinere et *primaria esse*, licet non proxime et *αμέσως* ex prop. *Christus est redemptor generis humani*, sequantur. Sic in promptu esset dogmata afferre, quae per duas tresue propositiones intercedentes a fun-

a fundamento fidei distent, nec tamen pro *non fundamentalibus* propterea sint habenda. 3) Quum vnius theos plures esse queant probationes; fieri omnino potest, vt vnum dogma ex pluribus concludendo inueniatur, tanquam istud: *homines sua ipsorum opera salutem sibi parare nequeunt*. Haec propositio primum ex ipso fidei fundamento: Iesus est seruator hominum, proxime et *necessario* sequitur; non minus recte autem et facile eadem ex articulo fund. *primario*, a fundamento fidei supposito: *homines natura corrupti nihil boni efficere valent*, concludendo intelligi potest. Ut hinc vnum idemque dogma, si ratio Moshemiana obtineat, modo *fundamentale primarium*, modo *secundarium* esse possit. Ex quo perspicuum est, theoriam istam iudicium de vero cuique articulo pretio statuendo non dum extra omnem dubitationem ponere.

Difficile omnino est de omnibus et singulis dogmatibus hic pronuntiare, generatim autem rectissime statuitur, *fundamentalia primi ordinis*, i. e. praecipua in theologia reuelata, quae summam causae contineant, omnia ea esse, sine quibus fides in Iesum Dei filium, μετανοια inter Deum et homines, sancta vita demonstranda, esse nequit. Quae si sigillatim sint recensenda, facile s. R. D. NOESSELTIO accederemus, eorum numerum ineunti, *in der Vertheidigung der Wahrheit und Göttlichkeit der christlichen Religion*, p. 32. Caetera non per se, sed *xara τι* sunt *fundamentalia*, quatenus summam religionis non constituant quidem, at attingunt tamen; de *non fundamentalibus* enim, quae diei solent, i. e. meritis problematibus theologicis, de quibus in utramque partem disputari potest, nihil hic attinet dicere, vt quae articulorum fidei nomine ne quidem possunt appellari.

De reliquo hanc de articulis fidei rite aestimandis doctrinam, ex quo post Colloquium Ratisbon. a. 1601. vbi de notione articuli fidei disceptatum est, a NIC. HVNNIO in *disciplina theologica de fundamentali diffensu*, ea, quam plerique adhuc secuti sunt, ratione primum tradita fuit, sigillatim nomine *Theologiae Comparativae* tractare nonnulli cooperunt; confilio quidem minus probando et *Syncretismi* studio, auctor huius nominis D. GAERDENIUS, Theologus

Britan. alio autem et laudabiliore scopo, nempe ut Latitudinarios cöerceret, MICH. FOERTSCHIVS in *Manuductione ad Theol. Comparatiu.* Ien. 1713. de qua s. r. LESSIVS etiam egit in *Progr. Danisc.* 1761. Alia, quae ad historiam huius de fidei artic. doctrinae pertinent, notatu digniora affert SEMLERVS in *der histor. Einleitung in die dog. Gottesgel.* l.c. p. 125. sqq.

X.

Non tam de integris capitibus et locis, quam singulis propositionibus illis contentis, vtrum *fundamentales primariae* sint, an *secundariae*, constitui potest. Quod valet etiam de articulis *puris* et *mixtis*.

Minus accurate loquuntur, qui de Theologiae doctrinis nonnullis generatim pronuntiant, fundamentales eas primi ordinis esse, veluti de Christo, de iustificatione etc. cum tamen iisdem multae propositiones contineantur, quae ad fundamentales secundi ordinis tantum pertinent, e.g. diuinam Christi naturam cum humana idiomata operativa communicasse, humanam naturam non habere propriam hypostasin; in actu iustificationis bona opera non spectari praesentia, et quae sunt alia.

Similiter articuli quidam vniuersitate *puri* vulgo vocantur, in quibus tamen occurrunt subinde, quae ratione patent; ita de natura angelorum multa traduntur, quae ex pneumatologia constant. Contra ea doctrinae *mixtae* vulgo appellatae habent etiam nonnulla, quae ignoraremus, nisi Scriptura S. ea doceret. Exemplo sit locus de creatione huius vniuersi, quod ex nihilio conditum esse nullus veterum philosophorum cognouit, nec nos fortassis sciremus, nisi sacrae literae de eo nos erudirent, Ebr. XI, 3. Quanto rectius igitur de singulis propositionibus theologicis id affirmamus, quod sunt, qui de integris theologiae capitibus affirmant.

XI.

Articulos fidei *dogmata* dici vsus induxit, a quibus Theologia nomen *Dogmaticae* accepit.

Ex

Ex vsu veteri δόγματα sunt Philosophorum, aut sectae philosophicae, de re aliqua *decreta*, sive apud ecclesiasticos scriptores *Sententiae* de articulo seu capite aliquo doctrinae; unde *Theologia dogmatica* proprie est *Theologia historica*, quae de variis variorum super articulis fidei sententiis exponit, huncque significatum *Petauius* est secutus, notissimum opus suum *Dogmatum theol.* titulo insigniens, vid. ERNESTI *Biblioth. Theol.* Vol. II. p. 403. Neque dubito tamen altera etiam, quae hodie praeceps obtinet, significatione, vocabulum δόγμα iam apud veteres occurrere; Basilius M. certe *Orat. IV. in Hexaëm.* doctrinam de diuinitate Filii dicit δόγμα τῆς θεολογίας. Qui hodie autem huius vocis usus in Theologorum scholis est receptus a philosophico in eo differt, quod facta etiam dogmatum theologicorum numero habentur, veluti Christum natum esse, e mortuis excitatum, in coelos uectum; cum e contrario apud Philosophos non nisi eae propositiones, quae ex rationibus intelligi possunt, hoc nomine dicantur, et ab historicis, per sensus aliorumque testimonia cognitis, discernantur. Quod autem b. CHLADENIVS in *Logica Sacra* p. 307. *Dogma per propositionem voluntatem mouentem* definit, neque veteri neque recentiori loquendi usui satis conuenire arbitror.

XII.

Dogmata ex Scriptura S. dupli ratione, vel immediate vel mediate petuntur.

Dogmata immediata sunt, quae totidem verbis, siue propriis, siue tropicis, in sacris literis continentur, e.g. *Deus vult omnes homines saluari; mediata*, quae ex illis demum cognoscuntur, veluti hoc: *Deus neminem absoluto decreto aeternae damnationi destinavit.* In priori genere nihil inest difficultatis, nisi vt, quae per tropos interdum dicta sunt, artis interpretandi subsidiis rite adhibitis, verbis propriis explicentur. Dogmata autem mediata varie ex immediatis peti possunt. Atque triplicem quidem eorum inueniendorum viam constituit S. R. IOH. GOTTL. TOELLNER, *von der wahren Lehrart in der dogmatischen Theologie*, p. 106. sqq. *Logicam s. Chladenii* in ea re potissimum secutus. *Prima ratio* est in *Euolutione*, quae

quae fit, ut si quidem arbitratur, primum propositionem immediatam rite interpretando, e. g. *Verbum caro factum est*, est prop. immediata, quam si, verbis propriis substituendis, interpretemur, existit, de eius sententia, prop. mediata: *Filius Dei homo factus est*. Ego vero non video, qui haec propositio mediata dici possit, cum sensum si spectes, eadem sit atque illa prior: *verbum caro factum est*, et clarioribus tantum verbis, id quod in dogmatibus fieri necesse est, proponatur. Itaque per evolutionem, quam dicit, ita potius propositiones mediatas inueniri putem, ut ex prop. immediata aliae proxime concludantur, veluti ex superiori hae: *E. Christus verum corpus humanum habuit*, *E. Non tantum speciem hum. corporis gessit*, *E. Veram humanam animam habuit &c.* Atque hunc unicum in hoc genere modum esse existimo. Quamquam enim illud etiam evolutione dici potest, si, quae una sententia in Scr. S. plura comprehenduntur, distinguantur et signatim enuncientur: tamen quae sic existunt propositiones, non mediatae sunt, sed omnes immediatae, v. g. una sententia: *Deus proprio filio non parcens eum pro omnibus nobis morti tradidit*, Rom, VIII, 32. in has propositiones discerpi potest: *Christus proprius est Dei filius*: *Christus morti traditus est*: *Christus pro nobis omnibus morti est obiectus*. Quae omnia in dicta sententia differtis verbis insunt, et non demum concludendo ex ea elicuntur. Altera via dogmatum mediatorum inueniendorum est in Abstractione, qua, quod simile est in pluribus propter immediatis inter se collatis, indicatur; ita dogma: *Christo competit attributa diuina*, existit ex propter illis: *Christus est aeternus, omnipotens, omniscius &c.* Tertius denique modus est per combinationem plurium dogmatum, sive immediatorum, sive mediatorum, ex quibus concludendo noua prop. efficitur; veluti ex his: *Christus est verus Deus*: *Christus est verus homo*, illud dogma componitur: *Christus est verus Deus et homo simul*. Ad quod genus etiam illas conclusiones referre licet, quae ex duabus propter altera ex Scr. S. ex ratione altera cognitis, efficiuntur. Quas conclusiones in dogmatum mediatorum numero recte habendas esse, contra Methodistas, qui dicuntur, ex Pontificiis, veluti *Nicolium*, *Veronium*, *Wahlenburgios*; alios, iam veteres Theologi nostri satis euicerunt.
